



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

3. De comparatione religionum inter se.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

- 11 Religiosus ad secularem parochiam promotus habitum suæ religionis deferre & alia præscripta Regulæ, quatenus cum munere & laboribus suis consistere possunt, obseruare debet etiam sub culpæ obligatione, si Regula ordinis ita obliget.
- 12 Religiosus dum parochiam secularem administrat, in plerisque Episcopo diæcesis subiicitur, verum in iis quæ ad Regulam ordinis spectant, V. C. ut habitum gestet videtur subiectus manere Abbati & proposito Monasterii.

C A P. II.

De origine & varietate Religionum.

- 1 Status Religionis istatim à tempore Apostolorum huc vsque semper durauit, & auctus est Philone Iudæo, Eusebio & S. Hieronymo.
- 2 Non licebat Monachis vitam eremiticam colere, nisi prius in Cænobio virtutem suam probassent.
- 3 Quatuor sunt regulæ S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci, sub quibus omnes religiosi viuunt, præter Carthusianos & Societatem Iesu, qui ordines propria statuta habent.

C A P. III.

De comparatione Religionum inter se.

- 1 Omnis variorum ordinum Religiosorum diuersitas accidentalit tantum est, quia omnes variis mediis ad Christianam perfectionem tendunt, quæ est charitas & coniunctio cum Deo.
- 2 Triplex est vita Contemplatiua (vacando Deo per orationem & contemplationem mentis) Actiua (vocando proximo propter Deum per opera misericord-

fericordiarum corporalia tum spiritualia) & Mixta
ex utraque.

Cuiuscunque Religionis perfectio attendenda
est tum ex fine eius proprio tum ex mediis, quæ ad
hunc ipsum finem & tria substantialia vota imple-
nda, ac denique charitatis perfectionem consequen-
dam convenienter adhibet.

C A P. IV.

De ingredientibus Religionem.

SI Parentes ingressum Religionis (prius tamen
cum ipsis consilio communicato) impedire ve-
lim, iis etiam inconsultis aut inuitis ingredi, ac pro-
ficere fas est, iuxta S Hieronymum: Sola causa, qua
non liceat obedire parentibus, Deus est: Ipse enim
dicit, qui amat patrem vel matrem plus, quam me,
non est me dignus.

Si parentes in extrema necessitate sint filius etiam
professus licet prælatus iniuriose licentiam neget
dare, egredi potest & succurrere: Ratio, quia præ-
cepta iuris naturalis ac diuini, quod est de subueni-
endo parentibus in necessitate extrema constitutis
nullo voto tolli potest, iuxta illud Matth. 9. *Misericor-
diam volo, & non sacrificium*, idque intelligo etiam de
extraneo in necessitate extremo constituto. Quod
si verò inopia parentum grauis, interim filius in-
gressum Religionis differre debet dum ipsis succur-
ratur; quia maiore præ aliis hominibus obligatio-
ne tenetur filius ad subueniendum parentibus in
gravi necessitate constitutis, ad quod se impoten-
tem reddit per religionis ingressum, non verò tanta
obligatione obstringitur extraneis, ut propter illo-
rum grauiorem necessitatem se debeat magna spiri-
tuali